

C. 14. DE TIBIIS VET. 259
*Atque hæc varietas, & hic per omnes
sonos vocis cursus, ad Tibiam attempe-
ratus, & se tuebatur, & actioni affe-
rebat suavitatem: Sed fistulatorem do-
mi relinquendum, sensum autem hu-
jus consuetudinis ad forum deferendum
suadet apud Tullium Crassus, qui hujus
fistulæ Gracchi rationem omnem non-
dum plane intelligenti Julio exponit.
Illi usui adhibitam Tibiam, concionato-
riam nuncupat Gellius lib. 1. cap. 11.
Ecce autem pro tibicina Laconica, Tibiæ
quoque illius concionatoricæ in mentem ve-
nit, quam C. Graccho cum populo agente
præiisse ac præmonstrasse modulos ferunt.
Tonarion dicit Quintilianus lib. 1. cap.
10. Ut uno interim contenti simus exem-
plo C. Gracchi, præcipui suorum tempo-
rum oratoris, cui concionanti post eum
consistens musicus, fistula, quam tona-
rion dicunt, modos quibus deberet inten-
di, ministrabat. Ideoque hanc talem
memorat Plutarchus lib. de Cohib. Ira,
ad quam musici vocem per tonos va-
rios formare solent: Cajo quidem Grac-
cho,*